



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||**

**Lensaeus, Johannes**

**Antverpiae, 1590**

Capvt I. Quæ sit Caluini de christiana libertate sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

D E  
CHRISTIANA  
LIBERTATE  
LIBER VNDECIMVS.

PROOEMIUM.



**X**PLICATIS superioribus doctrinae huius capitibus, quam haecenus de Christiana libertate sumus profecti: non abs re putavi futurum, si ex aduerso Caluini eadem de re doctrina ex integro proponeretur. Tum quod doctrinae Catholicae lucem reddet illustriorem, falsitatis ista cum veritate contentio: Tum quod ex ijs quae sunt hucusque tractata, non admodum est iudicatu futura difficilis, nouitij hac in parte dogmatis, posteaquam iudicata fuerit, absurditas.

CAPVT I.

*Que sit Caluini de Christiana libertate sententia.*



**T**AQVE Ioannes Caluinus cum de Christiana libertate sibi tractandum esse praefaretur; negat primum eius rei explicationem praetermitti ab eo debuisse, cui summam Evangelicae doctrinae compendio complecti propositum esset. Rem enim esse hanc apprimè necessariam, accitra cuius cognitionem nihil ferè sine dubitatione conscientiae aggredi audeant. Deinde Christianam libertatem partibus docet consistare tribus. Quarum prima eaque potissima sit, vt fidelium conscientiae sese supra legem erigant atque efferant, totamque legis iustitiam



iustitiam obliuiscatur. [ Nam cum Lex, inquit, neminem  
 iustum relinquit: aut ab omni spe iustificationis ex-  
 cludimur, aut ab illa nos solui oportet: ac sicquidem  
 ut nulla prorsus operum ratio habeatur. Nam qui vel  
 tantillum operum se afferre debere ad obtinendam  
 iustitiam cogitat, non potest modum aut finem prati-  
 gere, sed debitorem vniuersæ Legis se constituit. Sub-  
 lata igitur (ait) Legis mentione, & omni operum cogi-  
 tatione seposita, vnam Dei misericordiam amplecti  
 conuenit, cum de iustificatione agitur; & auerso à no-  
 bis aspectu, vnum Christum intueri. Non enim illic  
 quæritur, quomodo iusti simus; sed quomodo, iniusti  
 licet ac indigni, pro iustis habeamur. Cuius rei si cer-  
 titudinem aliquam assequi volunt conscientia, nul-  
 lum Legi dare locum debent. ] Hæc de prima parte li-  
 bertatis Calvinus. Similibusque farine sunt, quæ adiungit  
 de secunda: [ Altera, inquit, pars est, quæ ex superior-  
 re illa pendet: ut conscientia non quasi Legis necessi-  
 tate coacta, Legi obsequantur: sed Legis ipsius in  
 libera, voluntati Dei vltro obediant. ] Quod ita conse-  
 quentibus explanat, ut satis intelligi possit hoc eum ve-  
 le, etiam si omnia iustorum opera, cum ad Legem re-  
 uocantur, peccata sint, & maledicto obnoxia, mini-  
 meque ijs Lex impleatur: tamen vel dimidiatum &  
 inchoatum obsequium, alacriter promptoque animo  
 caelesti Patri offerri oportere.

## CAPVT IX.

*Denudatur absurditas supra posita Caluini doctrina.*

**I**N duabus autem hisce partibus (nam de tertia  
 suo loco dicendum est) vide quæ, quantaque ab-  
 surda insint. Principio, sicuti definitur in eo nostra esse ius-  
 tificatio, quod iusti habeamur, cum simus iniusti &  
 indigni: ita etiam ponitur in eo Christiana libertas,